





DISQVISITIO SECUNDA  
DE  
GENVINO FONTE  
DISTINCTIONIS INTER  
FOETVM ANIMATVM ET INANIMATVM  
IN NEMESI CAROLINA ART. CXXXI.


DISPVTA TIONI IN AVGVRALI  
PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI CANDIDATI  
**IO. LVDOV. IVST. GREINEISEN,**  
WEZLARIENSIS  
DE  
SVCCESSIONE IN FEVDVM  
FILIIS  
PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM  
LEGITIMATIS  
HAVD DE NEGANDA  
D. XIV. JAN. ANN. CIOIOCCCLXXV.  
INSTITVENDAE  
P R A E M I S S A

A  
**CAR. FRID. WALCHIO, D.**  
ORDINIS IURISCONSULTORVM H. T. DECANO.

IENAE  
EX OFFICINA STRAVSSIL.

Daval







I.

QVEMADMODVM ea, quae de distinctione inter  
foetum animatum et inanimatum a Carolo V.<sup>1)</sup>  
imperatore adprobata protuli, abunde, vti spero,  
docent, illam Romanis penitus fuisse ignotam;  
ita idem quoque colligere nobis licet ex norma, in sepelien-  
da femina praegnante ab iis praescripta. Tradit illam elegans  
ille iurisconsultus VLPIVS MARCELLVS <sup>2)</sup>: *negat lex Regia*,  
*inquit, mulierem, quae praegnans mortua sit, humari ante-*  
*quam partus ei excidatur: qui contra fecerit spem animantis*  
*cum grauida peremisse videtur.*

A 2

II.

2) L. 2. D. de mortuo inferendo.

1) arr. 133.

## II.

ET SI in explicanda hac lege nonnulli iurisconsultorum operam oleumue perdiderint 3); superuacanei tamen operis culpam haud vereor, vbi de ea quaedam praemittam; antequam paullo curatius illam consideremus et videamus, qua ratione foetum, in utero latentem, haud esse animatum, doceat. Quum inscriptio legis illam **VLPPIO MARCELLO** tribuit: nemo adhuc id in dubium vocavit. Neque ego alias in partes discedo; incertum tamen esse, opinor, num ex libro vigesimo octauo; an alio ex libro eius digestorum sit delibata. Qui illud existimant, ad modo memoratam inscriptionem prouocant; verum enim vero facile irreperere potuit mendum in illam, vti irrepisse illud constat in plures alios locos codicis Florentini. Vel minimum haud perspicere possumus, quid sit, quod loquutus sit **VLPPIVS** de humanda femina prægnante in libro, quo de legatis potius ac mortis caussa donacionibus 4) egit; neque ad istud dicendi argumentum peruerenter in libro quinto, quo de luctu liberorum aequae ac parentum disputasse constat 5). Meminit Vlpius noster *legis Regiae*; neque regem illum nominat, a quo ea sit lata. Sine ullo dubio ideo legi huic nomen imponit, quod tempore,

quo

3) In primis s. H. VAN IDSINGA III. diff. VII. p. 545.

*variorum iuris ciuiliis libro singulari,* 4) Cel. HOMMELLI *palingenesia*  
cap. XIIII, p. 116. et ZACH. HV- librorum iuris veterum, tom. I.  
BER diff. de lege Regiae, quam reci- p. 383.

tar Marcellus, cap. 2. ff. de mortuo, 5) L. 35. ff. de religiosis et sumis.  
inferendo, in diff. iuris, libr. fun.

quo regium obtinuit imperium, sit condita; tantum tamen abest, ut Numam Pompilium eius latorem esse statuamus cum ANTON. AVGUSTINO 6), FRANC. HOTTOMANO 7) ac S. H. VAN IDSINGA 8); ut faciamus potius cum IOACH. HVERO 9) et JOSEPHO ANTONIO BRVNO 10), atque eam vel a Romulo; vel a Numa Pompilio deriuandam esse censeamus. Longe grauior est quaestio, num verba postrema, quae profert MARCELLVS, a legis auctore; an ab iurisconsulto modo memorato sint deriuanda? ZACH. HVERVS 11) ac laudatus S. H. VAN IDSINGA 12), verba legis illa: *qui contra fecerit, spem animantis cum grauida peremisse videtur*, Numae adsignant atque illis verbis contineri sanctionem putari. Non ignoro, idem statuere CHRIST. GOTTFR. HOFMANNVM 13), qui hanc legem in earum numerum scribit, quarum verba ad nostram usque aetatem sunt con-

A 3

seruata

6) de regibus et senatus consulzis populi Romani, tom. II. thesauri antiquitatum Romanarum 10. GEORG. GRAEVII, p. 1257.

7) antiquitar. Romanar. tom. IIII. cap. p. 230.

8) variorum iuris civil. libr. sing. cap. XIII. p. 114.

9) loc. laudat.

10) dissertationibus in ius ciuile, Augusfae Taurinorum, 1515 LIX. editis, p. 252. Qui emendatione

quadam legem hanc indigere fla- tuunt teste LUDOVIC. CHARONDA,

libr. I. verisimil. cap. 2. tom. I. thes. iuris civil. Ottoman. p. 687. et

in locum Regia Rhemnia ponunt, vel cum CYPR. REGNERO AB OSTER-

IA, censura Belgic. tom. I. p. 308.

legem Regiam dictam cenfer, quod

animam tangat, et IACOBVS, cap.

2. et 8. praeceptum quoddam diui-

nnum etiam nomine legis Regiae de-

signat, in alias discedunt partes;

sed vel minimum posterior conie-

ctura non digna est, quae refute-

tur.

11) loc. citat.

12) varior. iuris civilis, cap.

XIV. p. 124.

13) histos. iuris, vol. II, parr. I,

p. 37.

—————

seruata atque ANTON. TERRASONIVM 14), qui aperte ait: nous pouvons bien dire, que nous en avons le texte, puisque le Iurisconsulte Marcellus nous a conserve dans la Loi 2. ff. de mortuo inferendo tout ce, que ce texte contenoit, et les mesmes termes, qu'il ne seroit pour consequent question, que de presenter en Langue Osque. Conuenient in eo omnes hi litterati homines, quod lex Numae ita fuerit composita:  
 MULIEREM, QVAE FRAEGNANS MORTVA FVAT, NISI EX-  
 CISO PARTV, HVMARI NE LICITO, QVOS SECVS FAXIT,  
 QYASI SP EMANANTIS CVM GRAVIDA PER EMERIT.  
 Libens hoc concedo: mihi vero longe probabilius est, ratio-  
 nem legis adiicere eamque per id explicare Marcellum. Qui  
 contrariae fauent sententiae, eam nullo modo probare pos-  
 sunt, quippe iurisconsultus verbis, vti aiunt, relativis fal-  
 tem argumentum legis regiae, exponit: ego vero vbi verba  
 haec paullo curatius considero vocem quidem iurisconsulti,  
 neque legislatoris audire mihi video. Res, quae in his  
 verbis traditur, haud definitur; sed in medio relinquitur,  
 quem videtur tantum spes animantis perimi, quod stilo le-  
 gislatoris haut conuenit. Occurrunt tandem in iis dictiones,  
 a Stoicis longe post regum tempora excogitatae, spes ani-  
 mantis, perimere videtur quae ab VLPIO quidem MARCELLO;  
 sed haud a NVMA essent expectandae 15); neque villam poe-  
 nam

14) histoire de la iurisprudence tet ex L. 10. §. 2. D. de ysucaption  
 Romaine, part. 1. §. 7. p. 58. L. 9. §. 2. D. de emi. vendit. L. 20.  
 15) VLPIVM fuisse Stoicum, pa- D. de

7

nam determinant, et si quoque illum, qui praegnante fe-  
minam, si sit mortua, sepeliendam curat, cum illo compa-  
ret, qui spem animantis perimat.

### III.

Sive sint tribuenda verba, de quibus iam disputauī,  
**NVMAE POMPILIO**; sive **VLPIO MARCELLO**; omnem atten-  
tionem merentur et imprimis comprobant, secundum men-  
tem Romanorum foetum in utero nunquam esse animatum.  
Qui ea in sermonem Graecum transtulerunt, veram ipsorum vim  
ac potestatem haud perfexerunt idque satis euidenter auctores  
librorum **ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ** 16) aequae ac **HARMENOPVLVS** 17)  
declararunt, quam illa ita graece reddiderunt: ὁ Θάτων  
ἔγκυον πέλν ἡ τὸ βεβέρος διάνατον εὐβληθῆναι φούνειν δοκεῖ  
uti doctissimus Belga, s. h. VAN IDSINGA 18) copiosius  
exponit; qui vero paullo acutioris ingenii est, singula ver-  
ba contemplatione digna esse reperiet et tria indicia senten-  
tiae supra traditae in iis deprehendet. Primum eius capi-  
mus ex nomine, quo partus designatur, quum *spes animan-*  
*tis* dicitur. Quum partus in utero ex sententia Stoae hominum  
in censum haud caderet ac, illum hominem fieri, postquam  
integer in lucem esset emissus, probabile quidem esset; mi-  
nimē

**D.** de condit. et demonstrat. **MEY.** p. I. et 10. **THEOPH.** SEGER in  
NARD. **TYDEMANN** de L. **Vlpiai** **Vlpio Marcello**, Lipsiae C1010CE  
**Marcelli ICti vita et scriptis**, Tra- LXVIII.  
jeti ad Rhen. C1010CCLXXII. 16) libr. LIX. tit. II. p. 803.  
tom. I. vol. I. **thesauri noui differt.** 17) libr. VI. iii. 6. §. 2.  
**iuridicorum** GERH. OELRICHs, 18) loc. tandem.

nime tamen certum, belle imitatur MARCELLVS VIRGILIVM 19), SENECA M 20) et SCRIBONIVM LARGVM 21), quorum ille agnos spem, hi vero spem animantis vocarunt; quumque partum spem solum vocat, eum simul iam a hominibus distinguit; verumtamen latius adhuc progreditur. Quos nominaui, scriptores spem hominis partum nominare haud dubitant. Neque hoc placuit iurisconsulto, sed partum, haud immemor opinionis Stoicorum, illum, in lucem editum, primum viuere incipere, atque discriminis, quod inter animantia atque animalia statuerent, nomine *animantis* designabat. Si SENECA M 22) euoluamus, legimus penes eum sequentia verba: *sed sunt quadam, quae animam habent; nec sunt animalia.* Placet enim satis et arbustis animam inesse, itaque et viuere illa et mori dicimus. Ergo animantia superiorem tenebunt locum. Animans itaque secundum veterum sententiam multo minus erat; quam animal, quippe animans etiam arbusta in se comprehendit: verum enim vero nec in animantium censem scribit MARCELLVS partum; sed spem animantis vocat. Egregium profecto id est documentum sententiae de partu, quam romanis tribuimus iuris consultis; eiusdem tamen rei duo alia, non minus illustria testimonia in hac lege exstant, quae a priori vel minimum in eo differunt, *quod*

19) libr. III. georg. v. 473.

20) consolat. ad marr. Helium, 22) epist. LVIII, tom. II. oper. cap. 16. p. 201.

21) epist. cap. 2. Addas PETR.

quod istud iam alii inuenierunt, videlicet IO. FRANC. RAMOS 23),  
CASP. VERDVYN 24), S. H. VAN IDSINGA 25), ZACH. HVBE-  
RVS 26) AC CHRIST. HENR. ECKHARDVS 27), haec nemini  
in oculos cediderunt. Non dicit MARCELLVS, eum, qui  
eiusmodi mulierem grauidam terrae mandauit, videri partum  
occidere; sed perimere. Quum iurisconsulti Romani par-  
tum in vtero anima carere statuerent: non potuit Marcellus  
adfirmare, eum occidi posse, quippe tunc anima requiritur,  
quaes separatur a corpore; iure tamen *perimi*. Fallitur ille  
longe, qui vnam eamdemque horum verborum vim ac po-  
testatem esse, sibi persuaderet. Quum FESTVS 28) dicit: *per-*  
*emta et interemta pro imperfectis ponit solet a poetis*, simul  
iam his docet, *to perimere* aliam sustinere rationem; quam  
*tò occidere*; multo nimurum latiorem. Haec est causa, cur  
VIRGILIVS, quum de mortuo hoc verbum adhibet, adiiciat  
vocabulum *morte* 29):

*vident indigna morte peremptum*  
et cur idem adipicauerit ad multas alias res, ita, vt pro qua-  
uis vi tollendi quid; vel supprimendi ratione adhibeat 30).  
LVCRETIVS 31) de animae natura peremta et de fructibus  
agri per imbrues peremtis canit. LVCANVS 32) animarum  
meminit bello peremtarum; optimus autem stili artifex, M.

B

puto

23) de error. Triboniani, p. 258.

28) de verbor. significat. p. 1190.

24) diss. de iure eorum, qui in

29) libr. vi. aencid. p. 163. libr.

veero sunt, cap. I. p. 4.

XIIII. V. 453.

25) varior. cap. XIIII. p. 123.

30) libr. III. p. 44.

26) loc. laudat.

31) libr. V. V. 217.

27) hermeneut. iuris, libr. I. cap.

32) libr. I. v. 477. p. 63. cd.

4. p. 106.

OVDENDORPII.

¶

puto TULLIVM 33) de peremtis ludis, de peremto sensu ac peremto reditu loquitur. Quum iurisconsulti cum his plaine conspirant eamdemque latiorem notionem vocabulo huic tribuunt, quod loquendi formulae: *perimere disceptationem, donationem, legatum* 34) satis superque testantur, perspicimus, qua ratione MARCELLVS de partu, quem occidi posse necessario negabat, pronunciauerit, *eum posse perimi* idque cum *grauida*. Quoniam plerique iisque summi viri, velut ZACH. HVBERVS 35) ac S. H. VAN IDESINGA 36) differentiam inter *perimo* ac *occido* neglexerunt, euenit, vt mirati sint, quid sit, quod MARCELLVS, homini, praegnantern sepelienti tribuerit, eum grauidam occidere, quae iam viuis esset exenta. Si verbo, ab VLPIO usurpato, tollendi notionem subiicimus, belle illum defendere possumus, quum sepeliendo mulierem, iam mortuam, eius corpus auferre solemus, ac simul monstramus, quam religiosus Zenonis adfecla Marcellus fuerit cum reliquis iurisconsultis, dum partum solum auferri statuit. Tandem terrium documentum in hac lege restat, ex quo patet, VLPIO hanc de anima sententiam fuisse communem. Non adquiescit, quum adhibuerit aliud, quam *occidendi* verbum; sed modo ponit, *perimere* videtur, *Peceveri donec*, vti interpretes illud in linguam Graecam transtulerunt. Comparat itaque tantum partum, iis

cum

33) bariusp respof. cap. 21. Tuscul. si serius de donat. inter vir. et viror. quæction. libr. 1. cap. 38. orat. pro ac L. 1. D. de libertat. leg. Roscio, cap. 42.

34) L. et tert. D. de iudiciis; L. p. 564.

35) diff. iurid. libr. 111. diff. 7.

36) loc. memorat.

cum rebus, quae perimuntur atque imitatur hac in re alios  
iurisconsultos ideo solum, quod partum in rerum natura  
haud existere, persuasum haberet, ut recte monet RAMO-  
SIVS 37).

## IV.

SATIS disputatum arbitror de celeberrima legis Regiae eiusque interpretatione, quam VLPIO MARCELLO debemus: restat, ut oculos conuertamus ad argumenta, quibus aduer- fari sententiam suam corroborare student ac demonstrant, di- stinctionem inter partum animatum atque inanimatum, iure Romano esse fundatam. Si concludere liceret ab auctoritate eorum, qui hanc fouent sententiam, ad argumentandi, qua- vtuntur rationem: multum roboris ipsorum rationibus inesse, coniicere nos oporteret. Rem verbis haud exaggerabo, si statuam, plerosque iurisprudentum a nobis dissentire, neque solum WOLFG. AD. LAVTERBACHIVM 39), SAM. DE COGL- CELI 40) aliosque practicos iurisconsultos discrimen inter partum animatum atque inanimatum, ab imperatore Carolo V. confirmatum, Romano in iure fundatum esse, credidisse, sed iis quoque, qui litterarum elegantiorum studia feliciter coniunxerunt cum legitimis disciplinis, accessisse. Ingenue confiteor, IAC. CVIACIVM 41), IO. SOLORZANVM 42),

B 2

10.

37) *de error. Tribonian. p. 243. tit. XI. quæst. 2. p. 656.*

38) *coll. theor. pratico, tom. III. libri. XIX. obseruat, cap. 9.*  
*libri. XLVII. tit. XI. p. 1064.* 41) *libr. XIX. obseruat, cap. 9.*  
 39) *comm. ad Stru. tom. III. cap. V. rem. V. iusfauri. iuris civil.*  
*libr. XLVII. tit. XI. §. 79. p. 887.* EVER. OTTONIS, p. 1082.  
 40) *iur. controverso, libr. XLVII.*



10. IAC. WISSENBACH 43), VLRIC. HYBERVM 44), DION. GOTHOFREDVM 45) ac doctissimum Hispanum, ALPHON-SVM A CARANZA 46), et sexcentos alios eamdem tenere sententiam; tantum tamen abest, vt fama nominisque celebritas horum virorum detergere me queata refutandis ipsorum argumentis; vt facilis potius negotio, illud peragi posse, mihi persuadeamus.

## V.

PROVOCAT SAM. COCCEII 47) vna cum omnibus, qui cum ipso faciunt, ad effatum TRYPHONINI, quo scribit: *Cicerio in oratione pro Cluentio Auto scriptit. Milesiam quamdam mulierem, quum esset in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam. Sed et si quo visceribus suis post diuortium, quod praegnans fuit, vim intulerit, neiam inimico filium procrearet, ut temporali exilio coerceatur, ab optimis imperatoribus nostris rescriptum est.* Haec quum profert TRYPHONIVS 48): illius sententiam cum aliis legibus, quae extra ordinem crimeri abortus puniri iubent, conciliari aliter haud posse existimant, quam si ad discriminem inter partum animatum et inanimatum configuiunt et ad illum saltem respexisse iurisconsultum putant; verum enim vero ista conjectura nullam similitudinem veri consequitur. Quum verba CICERONIS, ad quae iurisconsultus se referit, haec sunt: *Memoria teneo. Milesiam quamdam mulierem, quum esset in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam; neque iniuria, quae spem parentis memoriam nominis, subsidium generis heredem familiae designatum, rei publiz-*

43) exerc. ad dig. libr. XLVII. iii. XI. §. I.

44) praelect. iuris. ciuil. tom. III. ibi. XLVII. iii. XI. §. 2. p. 514.

45) ad L. 38. D. de poenis.

46) de partu, cap. 2. p. 83.

47) loc. memorat.

48) L. 39. D. de poenis.

publicae ciuem sustulisset 49): clare perspicimus, hoc loco a Cice-  
tione consuetudinem, quae in Asia obtinuit, referri, quum  
partim de foemina, quae secundum morem istum esset da-  
mnata, eam esse Milesiam tradit, partim euenisce hoc addit,  
quum esset in Asia, ut docte animaduertit GVIDO PANCI-  
NOLVS. 50) Optimus ille orator profecto haec memorati-  
digna haud censuerit, si idem Romae obtinuisse; sed de-  
clarat per id potius, morem hunc peregrinum esse, ac TRY-  
PHONIVS solum verba eius allegat. Quod si vero quoque  
concederemus, illud saltim coniici: ne syllabam quidem in-  
tienimus, ex qua colligendum sit, Milesiam feminam eo  
nomine damiatam esse, quod partum abegerit animatum.  
Usque eo quidem haud progredior, ut, ibi de partu inani-  
mato esse sermonem, existimem cum DIDACO COVARRV-  
VIA 51) et IOANNE SOLORZANO 52); eadem vero ratione  
haud statuere possumus, legem nostram tantum loqui de  
partu animato. Nego potius cum modo laudato SOI ORZANO  
fationem huius consuetudinis in aetate partus, qui abigitur,  
esse querendam. Si nolumus suffragari GERH. NOODT 53)  
nec cum illo statuimus, TRYPHONINVM primo loco ius anti-  
quum, ac secundo ius recentius, ab optimis, uti eos vocat  
imperatoribus introductum, tradere: necesse est, ut discri-  
mine saepe memorato inter partum animatum atque inani-  
matum in explicanda hac lege penitus supersedeamus ac ra-  
tionem condemnationis potius in malitia Mileiae ac pecu-  
niae, qua a secundis heredibus corrumphi se passa erat, ponan-  
mus. Nonne enim aperte TRYPHONIVS sibi repugnaret, si  
prioribus verbis mulierem, quae animatum partum, accepta a  
heredibus pecunia, sustulit capitali poena adficendam esse sta-  
tueret, hocque ideo, quod partus sit animatus, faceret; illam ta-

B 3

men

49) orat. pro Quintlio cap. ii.

52) libr. ii. de parricid. crim.

50) thesaur. variar. letiior. libr. cap. 12.

53) in Iulio Paullo, cap. xi, tom.

Romania et Attic. p. 1253.

1, oper. p. 584.

51) libr. ii, var. cap. viii.

men, quae visceribus suis post diuortium, vim intulit, ne marito iam inimico filium procrearet, temporali exilio coercendam, censeret, nec distinguere, utrum partus fuerit animatus; an inanimatus?

Longe grauius est argumentum, quod aduersariis PAVLLVS in effato quodam satis noto, suppeditare videtur, sed quae de illo sunt dicenda, in aliud tempus differo et potius actum illum sollemnem indico, quo

PRAENOBILISSIMVS AC DOCTISSIMVS CANDIDATVS  
**IO. LVDOVIC. IVSTO GREINEISEN,**  
 viam ad adipiscendos summos honores, ipsi ab illustri juris-  
 consultorum ordine decretos, sibi parabit.

Quannam inierit vitae pariter ac studiorum rationem, ex  
 ipsis verbis, quibus eam nobis descripsit, clare constat:

*Natus sum Wezlariae die septimo calendar. Septembr.  
 CIO:OCCLI. et patrem habeo IOANLEM EBERHARDVM  
 GREINEISEN I. V. Licentiatum, Camerae imperialis pro-  
 curatorem et nonnullorum imperii statuum consiliarium  
 aulicum et matrem CHRISTIANAM SYBILLAM DORO-  
 THEAM, mibi iam dudum, id quod maxime doleo, morte  
 eruptam. In linea paterna veneror cineres cui IOANNES  
 LVDOVICI GREINEISEN per fere semiseculum concionatoris comitum in Erbach, nec non auiae ANNAE CA-  
 THARINAE ex gente FABERIANA. In linea materna  
 vero colo memoriam cui IOANNIS ALBERTI WEISEN-  
 BRVCH pastoris Engelrodae et auiae DOROTHEAE MARIAE  
 ex gente zwarzenav. Optimis hisce parentibus, ut  
 imbuueretur animus, primis et religiosis et doctrinae prin-  
 cipis curae maximae fuit. Factum inde est, ut quam  
 primum per aetatem licuit, in Gymnasium, quod Wezla-  
 riae floret, sum missus. Ibi rectorem praestantissimum ac  
 doctissimum KAEMPFERV M silentio practerire nequeo, si-  
 quidem*

quidem eius merita non exigua in me, ac praesertim diligentia,  
 quam adhibuit me aptiorem scientias altioribus faciendi. Ad  
 studia academica ita praeparatus patris mei optimi iussu  
 Gissam petii. Perillustris ac celeberrimus KOCHIVS tunc  
 temporis fasces academicos tenebat, et ab illo in ciuium  
 academicorum numerum sum receptus. Hic audiui in  
 philosophicis et mathematicis virum longe celeberrimum  
 BOEHMIVM. Institutiones, pandectas et criminale ius vero  
 mibi gratulor audiuisse apud perillustrem atque excellentissi-  
 mum KOCHIVM praceptorum meum post fata colendum.  
 Transacto ibi biennio ad hanc celeberrimum musarum se-  
 dem accessi, ibique ius feudale ac jurisprudentiam illustrium  
 priuaturn Perillustris atque excellensissimus HELLFELD,  
 ius germanicum ill. WALCHIVS; imperii historiam et ius  
 canonicum perill. SCHMIDIVS pales meus pie colendus;  
 ius publicum praticum artemque relatoriam excell. ac ge-  
 nerosissimus de SCHELWIZ, exc. OELZE pandectas, exc.  
 MULLERVS artem diplomaticam ac denique ill. SVCCOV  
 Physicam me docuerunt. His viris de orbe litterato meri-  
 tissimus praestantissimisque gratias nunc ago immortales  
 pro fidissima eorum institutione, et nil nisi maximos pos-  
 sum sperare fructus ex eorum praceptis, quam ob rem illo-  
 rum memoria semper mibi erit sancta, et nil institui nec  
 effici poterit, quod eorum erga me merita obliuiscerer.  
 Biennio fere in hac academia a me peracto, redditumque ad  
 patrios lares meditans, debita et quo par est obseruantia a  
 iureconsultorum ordine petii, ut ad consueta examina et  
 specimina pro impetrandis suo tempore in utroque iure bo-  
 noribus, admitterer, et quoque hisce desideriis meis quam  
 humauissime occurserunt.

Quum dignissimus candidatus legitimis disciplinis tali  
 diligentia in nostra pariter ac Giesensi academia incubue-  
 rit: non potuit fieri; quin in examinibus, quibus virium  
 suarum

P. H. 1

suarum periculum fecit, illustri ordini juris scientiam, quam  
 sibi adquisiuit, egregie probaret, multamque ex iis reporta-  
 ret laudem. Neque aliud quidquam augurari possum de  
 certamine sollejni, quo praefide viro perillustri atque ex-  
 cellentissimo, IOACH. ERDM. SCHMIDTIO, iuris publici,  
 feud. ac historiarum professore publico ordinario celeberrimo,  
 serenissimi ducis Gothani atque Altenburg. consiliario iustitiae  
 intimo, dissertationem inaugurealem de successione in feudum, fi-  
 liis per subsequens matrimonium legitimatis hanc deneganda,  
 craftina luce defendet eoque maiori iure magnificum acade-  
 mie prorectorem, magnificum prorectorem designatum,  
 illustrissimos comites, patres conscriptos venerandos, hospi-  
 tes omnium ordinum honoratissimos generosissimosque ac  
 nobilissimos commilitones meo meique ordinis nomine rogo  
 ac contendeo, ut praefentia sua aetum hunc splendidiorem red-  
 dere benigne velint. P. P. d. xiiii. Ian. ann. post rep.  
 salutem CICICCLXXV.



Jena, Diss., 1775-77

ULB Halle  
004 216 229

3



1078



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
0

Farbkarte #13



DISQVISITIO SECUNDA  
DE  
GENVINO FONTE  
DISTINCTIONIS INTER  
FOETVM ANIMATVM ET INANIMATVM  
IN NEMESI CAROLINA ART. CXXXI.

DISPVTATIONI IN AVGVRALI  
PRAENOBILISSIMI AC DOCTISSIMI CANDIDATI  
IO. LVDOV. IVST. GREINEISEN,  
WEZLARIENSIS  
DE  
SVCCSSIONE IN FEVDVM  
FILIIS  
PER SVBSEQVENS MATRIMONIVM  
LEGITIMATIS  
HAVD DE NEGANDA  
D. XIV. IAN. ANN. CICIO CCLXXV.  
INSTITVENDAE  
P R A E M I S S A  
A  
CAR. FRID. WALCHIO, D.  
ORDINIS IVRISCONSULTORVM H. T. DECANO.

I ENAE  
EX OFFICINA STRAVSSIL

Ducal